



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

9 Vtrum vnitas transcendentalis sit vnitas numemmerica, vel quænam illa sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

maliter determinantes rationem entis, seu essentiae ut sic: omnis enim essentia realis hoc ipso, quod realitatem essentialiter includit intrinsecè & essentialiter postulat, & perfectionem aliquam essentialem & modum seu gradum talis perfectionis. Vnde etiam Caietanus 1. part. quaest. 11. in principio, dubitans, cur prius egerit D. Thomas de unitate responderet, quia illa duo continentur intra latitudinem praedicamentorum quidditativorum: unitas vero ad passionem entis spectat. Sicut in Deo prius secundum rationem est, quod sit perfectus & infinitus in essentia, quam quod sit vnus, quia illa duo nostro modo intelligendi significant formalissimam talis essentiae constitutionem, ita in ente creato talis ac tanta vnus eiusque perfectio essentialis prior est, quam unitas eius: ergo in communi respectu entis formalior ac prior est diuisio eius per modos essentiae primò & summè diuersos, quales significantur illis vocabulis, finitum & infinitum, quam diuisio per modos unitatis.

XI. Neque contra hoc obstat laeui ratio; negatur enim finitum aut infinitum diuidere ens in quantum bonum, formaliter loquendo de bono, ut est passio entis, quia, ut infra videbimus, habere perfectionem aliquam, ut sic non est passio entis realis, sed essentia: nomine enim essentialis perfectionis, nihil aliud significatur, quam ipsamet rei essentia, quae, ut non sit ficta, sed realis, aliquid perfectionis formaliter esse debet: nam si sit essentia infinita simpliciter, seipsa est summa perfectio; si autem sit finita, est aliquis participatio illius perfectionis. Quid autem addat ratio boni, ut est passio entis, supra perfectionem entis, dicemus postea. Quod diuisio illa in vnum & multa, eo modo quo explicata est, formaliter sit diuisio vnus ut vnum est, quam entis ut ens est, facile constat ex dictis: quia illa duo membra, ut possint diuidere ens per se, ita sumi debent, ut significet diuersos modos unitatis: siue per vnum significetur id, quod ita est vnum per se & nullo modo sit per accidens vnum; per multa verò id, quod est simpliciter vnum per accidens, licet aliqua ratione sit per se vnum: siue per vnum significetur id, quod ita est vnum, ut in eo nulla sit multitudo, etiam in potentia; per multa verò omne ens, quod licet sit per se vnum, est aliquo modo multa, saltem in potentia: his enim omnibus rationibus solum describuntur diuersi modi unitatis: constat autem varios unitatis modos formaliter contrahere vnum, quam ens.

XII. His ergo modis comparari possunt praedictae diuisiones, nec nunc occurrat alia ratio, vel causa ob quam vna diuisio entis possit dici prior alia. Vnde etiam obiter constat, ordinem illum diuisionum, quem laeui ponit, nulla ratione niti, aut fundari, & praesertim improprissima est illa diuisio, qua diuidit ens in sex transcendencia (de aliis enim iam satis dictum est) cum enim transcendencia omnia aequalia sint inter se, & cum ente conuertuntur, non potest proprie illa dici diuisio entis, sed est annumeratio quaedam tum entis, tum eorum, quae ipsi enti per se, & adaequate insunt.

Vltimò inquiri hic poterat, an multitudo seu numerus, ut sic dicat vnā formalitatem realem, & an in hoc sit aliqua differentia inter multitudinem transcendentalem, & numerum, qui ponitur species quantitatis, sed de hac re dicemus infra commodius de quantitate disputantes.

SECTIO IX.

Vnum unitas transcendentalis sit unitas numerica, vel quantitas illa sit.



Vplici sensu tractari potest haec quaestio iuxta duplicem acceptionem unitatis numeralis, scilicet, vel pro unitate quantitativa, vel pro unitate singulari, sic enim dixit Aristoteles li. 3. Metaph. Franc. Suar. Metaph. Tom. II.

taph. textu 14. vnum numero an singulare dicas nihil interest; etenim hoc modo singulare exponimus, quod numero est vnum. Iuxta has ergo duas acceptiones, duae quaestiones vel opiniones tractandae sunt.

Varia sententia de unitate quantitativa.

PRIMA opinio fuit Auicennae, quam referunt D. Thom. 1. part. quaest. 11. artic. 1. & in 1. distinct. 14. quaest. 1. artic. 3. & 4. Metaph. lect. 2. & ibidem Comment. com. 3. qui asseruit unitatem, quae prouenit entibus à quantitate, esse ipsam unitatem transcendentalem rerum, vnde concludit, vnum addere supra ens quantitatem. Quae sententia sic vniuersè sumpta plane falsa est, tum quia vel oportebit dicere nulla esse entia, nisi quanta, vel unitatem non esse passionem entis adaequatam, sed propriam entium materialium, tum etiam, quia in ipsismet materialibus, & quantis entibus existit propria unitas & integritas, quam vnumquodque ens in seipso habet, quae non est formaliter à quantitate, licet non sit sine quantitate, ut est sectio 3. tractum, & in disputatione sequente, & in disputatione etiam de quantitate iterum dicetur.

Si autem haec opinio solum assereret, unitatem quantitatis esse vnā ex unitatibus transcendentibus, haberet apparetem aliquam probabilitatem. Nam, sicut ens commune est quantitati, & ceteris praedicamentis, ita & vnum transcendens commune est omnibus illis; vnde sicut ens determinatur ad singula praedicamenta per proprios modos entitatis, & ens transcendens, ut inclusum in singulis praedicamentis, nihil aliud est, quam tale, vel tale ens: ita vnum transcendens determinatur ad singula praedicamenta per tales modos unitatis, & vnum transcendens ut inclusum in singulis praedicamentis nihil aliud erit, quam tale, vel tale vnum. Ergo unitas transcendens in quantitate nihil aliud est, quam talis unitas, quā unitas natura sua postulat. Ergo hoc modo videtur dici posse unitatem quantitativam non distinguī à transcendentali, non quia cum illa conuertatur, sed quia est pars quaedam subiectiva eius, ad eum modum, quo dici etiam potest quantitas, nō distinguī ab ente. Et hoc modo docuit illam sententiam Durand. in 1. distinct. 24. quaestio. 2. qui consequenter ait, in singulis praedicamentis posse distinguī speciales modos unitatis, & multitudinis, non tamen esse peculiaria nomina imposita adhuc significanda, nisi in quantitate, quia ratio diuisibilitatis seu continui diuisibilis, ex cuius diuisione resultat numerus, ut dicitur 3. Physic. cap. 7. peculiari modo reperitur in quantitate.

Atque haec sententia procedit distinguendo quantitatem à re quanta: nam qui putant quantitatem nihil addere substantiae, consequenter aiunt, vnum transcendens, & quod est principium numeri, nihil inter se distinguī, quod multis rationibus conatur defendere Greg. in 1. distinct. 24. quaestio. 1. & 2. Non quod putet, omne vnum esse quantum, sed è conuerso, quia putat omne vnum esse transcendens, & vnum quantitativum nihil aliud esse, quam vnum transcendens in substantia, vel accidentibus materialibus. Sed de distinctione quantitatis à re quanta, alibi dicendum est: nunc supponimus quantitatem habere entitatem distinctam à reliquis. Quo supposito sententia Durandi hac ratione confirmari potest: nam ens & vnum transcendens conuertuntur: ergo de quocunque vnum dicitur, aliud etiam praedicatur: sed quantitas est ens; ergo est vnum transcendens: non est autem vnum transcendens, nisi sua unitate quantitativa: ergo illa sub unitate transcendentali continetur. Alioqui oporteret fingere duas unitates in vna quantitate, aliam transcendentalem, aliam quantitativam, quod superuacaneum est, & vix potest mente concipi.

H 3

Hanc

V.

Hanc verò Auicennæ sententiam improbant Auer. supra & D. Tho. qui consequenter docent, unitatem quantitativam hoc differre à transcendentali, quod aliquid positivum, & reale enti addit, quod non addit unitas transcendentalis. Ex quo aliqui eliciunt, unitatem quantitativam addere ipsi quantitati aliquid positivum, & hoc modo differre ab unitate transcendentali ipsiusmet quantitatis, & ratione illius positivi esse principium numeri, qui ponitur species quantitatis, cum tamen multitudo transcendentalis propria & realem speciem entis conficere non censeatur. Ita tenet Iauel. 4. Metaph. q. 8. cum Capreol. in 1. dist. 24. quæst. vnica, ubi varia loca D. Thom. adducit, & potissimè in hoc fundatur, quod si unitas quantitativa non esset aliquid positivum præter indiuisiōem negatiuam quantitatis, nec numerus quantitativus esset certa aliqua species realis, nec esset vlla ratio constituendi illum numerum inter species rerum potius, quam numerum quorumvis entium. Si autem quæras, quidnam sit illud, quod addit unitas supra quantitatem: Respondere videtur Capreol. in explicatione primæ conclusionis, in quantitate duo esse distinguenda, scilicet, formā continuitatis & esse, quod talis quantitas continua dat subiecto, & significat unitatem addere supra quantitatem hoc posterius esse. Quia forma (inquit) continuitatis est diuisibilis in multa, & ideo non meretur dici unitas, de cuius ratione est indiuisibilitas, sed esse, quod illa forma dat subiecto, dicitur unitas, quia id nullo modo est diuisibile, quia si forma illa, vel subiectum diuidatur, esse primum non remanet, nec diuiditur, sed quilibet pars diuisi habet nouum esse, & non habet illud quod prius. Citatq; Auicenn. 3. Metaph. c. 2. dicentem, unitatem substantialiter esse ipsum, quod non diuiditur. Vnde significat Capreol. hoc positivum, quod addit unitas quantitativa supra quantitatem, esse ab illa realiter distinctum: Ægid. verò eadem dist. q. 2. dub. 2. eandem tenens opinionem de additione positiva sentit, illud additum solum ratione distingui hoc modo, quod quantitas quatenus extendit partes substantiæ, dicitur quantitas continua, quatenus verò perficit substantiam nulla habita ratione partium, dicitur unitas. Alii verò dicunt, unitatem quantitativam addere supra quantitatem rationem mensuræ ex D. Thom. 1. part. quæst. 11. art. 2. & 4. Metaph. lect. 3.

VI.

Sed hæc sententia falsa sine dubio est, vt Heruæus, Thom. de Argent. Durand. Greg. & alii notarunt dicta distin. Nam distinctio illa, quam fingit Capreol. commentitia est, & planè intelligibilis. Tum quia esse, quod dat quantitas (iuxta veriorē sententiam) non est res distincta ab ipsa quātitate actuali & reali, vt infra generationē dicitur, tum etiam, quia esto esset distinctum, non tamē in quantitate magis distingueretur, quam distinguatur in albedine forma albedinis ab esse, quod dat subiecto, vel in forma lapidis ipsa forma ab esse, quod dat materię: ergo vel hæc distinctio non satis est, vt unitas quātitatis dicatur aliquid addere supra quantitatem, vel idem dicendum est de unitate albedinis, & cuiuscunque alterius formæ creatæ, tum præterea, quia admissio illo esse distincto à quantitate, sine fundamento fingitur esse indiuisibilis ipsa quantitate: quis enim credat diuiso ligno in singulis partibus diuisis, manere eandem quantitatem, quæ antea erat, & nō manere idem esse quantitatis, quod ipsa quantitas conferebat? Non est enim maior ratio corruptionis vnius, quam alterius: imò omnes etiā, qui sentiunt esse distingui realiter à forma, à qua prouenit, sentiunt, saltē naturaliter, & per potentiam ordinariam esse inseparabile ab illa, ipsa manente. Quod si fortasse Capreol. dicat, se non loqui de esse existentis quātitatis, sed de quodam alio distincto à quantitate & existentia eius: hoc sanè nulla indiget refutatione, quia est merum commentum sine fundamento confictum. Et præterea, quomodo docung; explicetur illud esse, non potest esse

indiuisibilis ipsa quantitate, quia sicut tota quantitas dat esse toti subiecto, ita pars quantitatis parti subiecti, neque ex partiali quantitate, quæ est in vna parte subiecti, prouenit aliquid esse, quod sit in aliis partibus subiecti, neq; è conuerso: illud ergo esse debet necessario coextendi ipsi quantitati, nec potest esse indiuisibile magis, quam ipsa. Præcipue cum materiale sit, & corporeum, & in subiecto diuisibili. Nec verum est, quod Capreol. ait, formam continuitatis non posse dici unitatem, quia indiuisibilitas est de ratione unitatis: in superioribus enim à nobis probatum est, non indiuisibilitatem, sed indiuisiōem tantum esse de ratione unitatis, & ideo nihil repugnare vt forma unitatis, id est, in qua fundatur unitas, diuisibilis sit, dummodo sit indiuisa. Hæc ergo Capreoli declaratio nulla ratione subsistit.

VII.

Alia etiam distinctio Ægidij nulla omnino est, nisi tantum in vocibus, tum quia quantitas non aliter perficit substantiam, quam extendendo illam in partes, tum etiam, quia est repugnantia dicere, quātitatem habere rationem unitatis numeralis, quatenus abstrahit à partibus; nam de intrinseca ratione huius unitatis est, vt sit in subiecto quanto, & habente partes & ferè hoc solum addit supra unitatē transcendentalē. Alia deniq; expositio de ratione mensuræ facile refellitur, tum quia ratio mensuræ non pertinet per se primo ad unitatem, sed consequitur illam, vt recte D. Tho. docet, lib. 4. Metaph. lect. 8. & lib. 10. lect. 2. Tum etiam quia hæc ratio mensuræ, si quoad aptitudinem, quæ in re ipsa est, consideretur, eadem proportione reperitur in vno transcendentali respectu multitudinis, quæ est in vno quantitativo respectu numeri quantitatis: si verò consideretur quoad vsum hominum, id parum refert ad rationem unitatis prout in se existit. Denique contra totam hanc sententiam faciunt, tum Arist. testimonia, tum rationes omnes, quibus supra probatum est, rationem vnius in negatione positam esse: illa enim omnia eadem proportione in unitate numerali, seu quantitativa procedunt, vt patet ex Arist. li. 5. Metaph. textu 11. & lib. 10. à principio, & ex ratione supra facta, quia postquam quis finxerit entitatem, seu rationem positivam, quam addat hæc unitas supra quantitatem, si mente vel re ipsa intelligat eam separari, & manere solam quantitatem indiuisam, intelliget manere quātitatem vnam: ergo, quicquid additur, superflue & sine fundamento additur.

Vera ratio unitatis quantitativa declaratur.

VIII.

Aduertendum ergo est, vt tam res ipsa, quam sententia D. Thom. in hac parte intelligatur, quod supra in fine sectio. 3. dicebamus, in substantia materiali posse considerari intrinsecam, & entitativam unitatem, & accidentariam denominatiuè conuenientem illi ex affectione quantitatis: vnde fit, vt quantitas ipsa considerari possit, vel vt in se vna est, vel vt ratione illius reddatur vnum id, quod per ipsam afficitur. Quo supposito dicendum in primis quoad hanc partem est, unitatem transcendentalē non esse unitatem quantitativam, quæ denominatiuè, & accidentariè conuenit substantiæ materiali media quantitate. Hoc patet ex supra dictis, quia neque in aliis rebus unitas transcendentalis in hoc consistit, vt per se constat, neque in ipsamet substantia, vel quacunque alia forma materiali, vt ex dictis in sect. 3. constat. Nam transcendentalis unitas est maxime intrinseca vnicuique enti, & conuenit ex vi solius entitatis adiuncta negatione, vt ostensum est, vnde remota quantitate intelligitur intrinseca unitas entitativa transcendentalis in substantia etiam materiali. Et confirmatur, quia substantia vt est vna per quantitatem, simpliciter loquendo est vna per accidens in genere entis, cum constet ex rebus diuersorum prædicamentorum: substantia autem, vt est

vna

vna transcendentaliter, non est vna, per accidens, sed per se, alioqui substantia materialis non posset habere in proprio genere vnitatem per se, quod est valde absurdum. Et hoc etiam probant recte argumenta, quæ Gregorius in prædicto loco adducit.

Deinde dicendum est, in quantitate ipsa vnitatem, quia ipsa vna est, non esse aliam à transcendentali explicata ad tale ens, scilicet, quantitatem: hoc etiam recte probant argumenta Durand. & quæ adduximus inter referendam eius sententiam. Atque ex his sequitur primo vnitatem numeralem seu quantitativam respectu quantitatis nihil addere præter indixionem, quæ solum est negatio quædam, vt supra dictum est. Ita tenent alii authores citati, & Soncin. libro 10. Metaphysicæ quæstione 2. Soto in Prædic. cap. de quant. q. 1. Et hoc probant rationes factæ contra Capreolum & alios. Et patet etiam, quia hæc vnitatis est transcendentalis respectu quantitatis: ergo est eiusdem rationis in illa, cuius est in aliis rebus: sicut ergo in aliis entibus vnitatis est vniuscuiusque entitas indiuisa: ita in quantitate vnitatis eius est ipsa quantitas, seu continuuitas quantitatis vt indiuisa. Dices, diuisa quantitate continua amittitur eius vnitatis quantitativa, & resultat numerus, vt dicitur 3. Physic. & tamen non amittitur vnitatis transcendentalis, quia, vt supra dicebamus, manet eadem entitas in singularibus diuisis, quæ in continuo habebant, ergo sunt diuersæ vnitates. Respondetur negando minorem, quia licet partes diuise retineant eandem entitatem, quam vt partialis habebant in continuo, tamen simpliciter entitas continui non erat posita in illis solis partibus, sed etiam in vnione earum & termino, quo copulabantur, vel potius in toto illo composito, quod ex his omnibus resultabat, cuius vnitatis tam quantitativa, quæ transcendentalis consistebat in toto illo vt indiuiso: vnde illa vnitatis ideo per diuisionem destruitur, quia non manet eadem indiuisio, quæ antea erat, & quia totum illud in ratione cuiusdam totius dissoluitur.

Secundo infertur ex dictis, vnitatem quantitativam seu numericam, quatenus substantiæ denominatione conuenit, addere supra substantiam rem positiuam sub negatione, scilicet quantitatem ipsam cum indiuisione. Ita intelligendum puto D. Thom. idque recte annotauit Fonseca lib. 5. Metaph. cap. 13. quæst. 3. sect. 3. ex eodem D. Thom. 4. Metaph. lect. 3. Et patet facile, quia sicut substantia est quanta per quantitatem sibi adiunctam, ita etiam est vna quantitativè propter vniam quantitatem, quam in se habet: item hinc sepe fit, vt substantiæ, quæ in suo genere non habent transcendentalem vnitatem, aliquo modo dicantur vnum quantitativè, ratione quantitatis, quomodo vna virga dicitur, quæ partim est viridis, partim sicca.

XI. Tertiò tandem constat ex dictis, quomodo se habeat vnitatis transcendens ad vnitatem quantitativam: in nullo enim sensu sunt idem conuertibiliter, vt euidenter probant supra adducta. Si tamē loquamur de vnitatis quantitativæ secundum se, seu respectu quantitatis, sicut se habent inferius & superius: nam ostensum est, vnitatem quantitativam esse quandam transcendentalem vnitatem, quamuis non omnis vnitatis transcendentalis sit etiam quantitativa. Vnde vnum transcendens reperitur in omnibus prædicamentis: vnitatis vero quætitatis in solo vno prædicamento. Si vero loquamur de vnitatis quantitativæ, vt accidentaliter & denominatione conuenit substantiæ, vel aliis materialibus accidentibus per quantitatem, sic differt ab vnitatis transcendentali: nam hæc est intrinseca, & per se comitans entitatem rei: illa vero est quasi extrinseca, quatenus adiuncta est per aliam entitatem. Quia vero etiam hæc vnitatis numeralis respectu substantiæ, realis est, ideo necesse est, vt aliquo modo sub transcendentali contineatur: continetur autem eo modo, quo substantia vt

quanta sub ente continetur: sicut ergo substantia adiectione quantitatis accidentaliter quanta est, & ex vtraque resultat ens quoddam per accidens compositum, ita accidentaliter etiam vna est, & illa vnitatis, quæ ex vtraque resultat, est etiam per accidens, & proportionata tali composito, & respectu illius est transcendentalis quamuis respectu substantiæ accidentaliter sit. Atque ex his etiam constat, eandem proportionem inter se seruare numerum quantitativum, & multitudinem, quam seruant vnum numerale & transcendens. Quid vero dicendum sit de ratione numeri, an scilicet proprium genus & speciem entis constituat, & an in hoc differat à multitudine, dicendum inferius de quantitate tractando.

Conferetur vnitatis transcendentalis cum singulari.

Secunda sententia hoc loco examinanda est quod Durand, dicentium vnitatem transcendentem esse vnitatem indiuidualem vniuscuiusque singularis entis, quæ dici etiam solet vnitatis numeralis, diuersa significatione ab ea, quæ in præcedente opinione tractata est: ibi enim sumebatur vnitatis numeralis pro illa, quæ est principium numeri quantitativum. Nam, quia cognitio nostra à sensu incipit, & per sensum solum numerare possumus ea, quæ magnitudinem habeant, ideo harum rerum multitudo specialiter numeri nomē accepit: & ideo hoc speciali modo dicitur vnitatis fundata in quantitate, vnitatis numeralis. Hic vero latius sumitur vnitatis numerica prout distinguitur contra genericam, vel specificam & reperitur in quolibet ente singulari, & dicitur numeralis, quatenus ea multitudo, seu numerus transcendentalis confici potest: indiuidua vero vel singularis dicitur, quatenus vt talis est, incommunicabilis est inferioribus multis, in quo differt ab vnitatis formali, tam specifica quam generica. Dicit ergo hæc opinio, hanc vnitatem singularem propriam & realem esse passionem entis, seu vnitatem transcendentalem. Fundamentum esse potest: quia vnitatis transcendentalis, quæ est passio entis realis, esse debet vnitatis realis: sed in rebus nulla est vnitatis realis præter vnitatem numericam, ac singularem: ergo, si sola est adæquata passio entis: ergo illa sola est vnitatis transcendens. Et confirmatur, nam hæc vnitatis conuertitur cum ente realem omne id, quod hoc modo vni est, ens reale est. Quamuis enim ens rationis possit dici vnum numero, & sic distinguantur à Diabeticis genera, species & indiuidua in ipsis entibus, rationis tamen illud est quasi æquiuoce per solam extrinsecam denominationem: proprie tamen & in rigore loquendo, quicquid simpliciter vnum numero est, ens reale est: & è contrario omne etiam ens reale singulare est, & consequenter vnum numero: quia non dicitur ens reale, nisi quod est in rebus, seu quod est capax realis esse, sed in rebus nihil est nisi singulare, neque aliquid est capax existentie realis, nisi res indiuidua: ergo ens reale, & vnum numero, seu singulare, conuertuntur: ergo prædicta vnitatis singularis est vnitatis transcendens, seu passio entis.

Hæc vero sententia, si communem loquendi & concipiendi modum attendamus, difficilis, ac singularis videri potest. Nam in primis Aristoteles 5. Metaph. cap. 6. textu 11. inter vnitates entis non solum ponit vnitatem singularem, sed etiam specificam, genericam, & analogam, & vniuersaliter ait: *Quæcunque non habent diuisionem, in quantum non habent, sic vnum dicuntur.* Et lib. 4. text. 6. hinc colligit ad Metaphysicam pertinere de genere, & specie agere, quia hæc insunt enti, scilicet, tanquam comprehensa inter passionem eius, non comprehenduntur autem, nisi quatenus sub vnitatis continentur. Præterea adæquata passio alicuius communis obiecti non solum conuenire debet inferioribus contentis sub tali obiecto, sed etiam ipsi communi obiecto secundum se

XII.

XIII.

& formaliter sumpto: ergo esse vnum non tantum singulis entibus: sed etiam enti, vt sic conuenire debet: sed vt sic non est vnum numero, sed solum analogice & ratione formali: ergo Simile argumētum est, quod de quocunque dicitur ens, dicitur vnum transcendens, sed ens non solum dicitur de indiuiduis, scilicet Petro & Paulo, sed etiam de communibus rationibus præcise sumptis, vt de homine, equo, &c. nam, licet fortasse in his vniuersalitas sit per rationem, vt infra dicemus; tamen ipsæ naturæ vniuersales reales sunt, & vera entia realia dicuntur, & ita Aristot. lib. 1. Peri her. cap. 5. distinguit, rerum alias vniuersales esse, alias particulares: est ergo homo vt sic ens reale: ergo vnus vnitate transcendentali: & tamen non est vnus vnitate singulari, & numerica: ergo vnitas transcendentalis latius patet, quam vnitas indiuidua, vel singularis.

Questionis resolutio.

XIV.

Hæc difficultas multum pendet ex intelligentiâ illius difficultis quæstionis de vnitate, & numerali, quomodo differant, & an vtræque sit vera vnitas in rebus existens, & consequenter, an vnitas etiam vniuersalis in rebus sit. Sed quoniam hæc ad exactam huius materiæ explicationem sigillatim tractanda sunt, nunc breuiter dicitur, vnitatem transcendentalē, de qua nunc agimus, non esse limitandam ad vnitatem singularem, vel vniuersalem, materiam & formalem, sed comprehendere omnem vnitatem, quæ in aliquo ente reali, seu in ratione formali entis realis inueniri potest: Erit ergo vnitas transcendentalis quæcunque ratio entis realis per se, quatenus indiuisa est ad æquare, & secundum se. Dico *entis per se* eo modo quo supra explicatū est à nobis, esse obiectum Metaphysicæ; nam, si latius sumatur, nullam habet vnitatem, etiam formalem, vt dictum est. Dico etiam, *vt indiuisa*, quia nec sola entis ratio, nec sola negatio facit vnitatem, sed, ratio entis indiuisa, vt supra ostensum est. Denique dico, *ad æquare, & secundum se*, quia vnitas in vnaquaque re, seu conceptu obiectiuo reali, secundum propriam eius rationem attendi debet, & non secundum aliquam superiorem, inferiorem, aut extraneam: nam hæc aut sunt inadæquate, aut quodammodo per accidens; vnitas vero vniuersaliūque est illi adæquata, & per se illi conuenit. Vnde homo dicitur vnus essentialiter: quia secundum propriam adæquatam rationem suam, non est diuisus in essentiali ratione, quamuis in indiuiduis entitatie diuidatur: non dicitur autem homo simpliciter vnus illo modo, eo quod sit indiuisus in ratione animalis: ea enim indiuisio non sufficeret ad prædictam vnitatem, eo quod non conueniat homini adæquate, & per se primo, sed ratione superioris. Ex his ergo satis explicata est ratio vnitatis in communi sumpta. Vt tamen distinctius, & radiciter explicetur, oportet, vt de vnitate indiuiduali, formali, & vniuersali, quæ sunt propriæ vnitates Metaphysicæ, in particulari dicamus.

DISPUTATIO V.

De unitate indiuiduali, eiusque principio.



IRIA in hac disputatione inquiremus; primum, an hæc vnitas omnibus rebus existentibus conueniat; deinde quid in eis sit, ac denique quod principium seu radicem in singulis habeat. Et quoniam hoc vltimum non potest in rebus omnibus eadem ratione explicari, sigillatim inquireretur de substantiis materialibus, spiritualibus, & accidentibus.

SECTIO I.

Vtrum omnes res, quæ existunt, vel existere possunt, singulares sint, & indiuiduæ.

RATIO dubitandi esse potest primò, quia natura diuina, est realiter existens, & tamen non est singularis, & indiuidua, cum secundum fidem sit communicabilis multis. Secundò, vnusquisque Angelus est res existens, & tamen non habet hanc vnitatem numericam, & indiuidualem, sed essentialē præcise, qualis intelligitur esse à nobis in homine vt sic: ergo. Probatur minor, quia vnitas hæc indiuidualis intelligitur aliquid addere supra formalem, seu essentialē, ratione cuius contrahi, & consequenter diuidi potest ratio essentialis in plura indiuidua; sed in Angelo non est hæc additio, sed in eo est tota essentia quasi præcisa & abstracta, propter quam rationem non potest secundum numerum multiplicari: sicut, si homo prout abstracte concipitur, sic existeret, non posset multiplicari. Tertiò homo in re ipsa existit in Petro, & in Paulo, & vt sic non est quid indiuiduum & singulare: ergo non quidquid existit in rerum natura habet hanc vnitatem. In contrarium est, quod Aristoteles sæpissime contra Platonem docet, quidquid est in rebus, esse indiuiduum & singulare.

Supponendum est, ens indiuiduum, seu singulare opponi enti communi, seu vniuersali, non solum re latius, quatenus secundum mentis comparationem, seu Dialecticam considerationem indiuiduum speciei subiicitur: hoc enim neque omni naturæ indiuiduæ conuenit, vt patet in diuina; neque ad præsentem considerationem spectat: opponitur ergo quasi priuatiue, fere ad eum modum, quo vnitas multitudini opponitur. Comune enim seu vniuersale dicitur, quod secundum vnā aliquam rationem multis communicatur, seu in multis reperitur: vnum autem numero, seu singulare ac indiuiduum dicitur: quod ita est vnum ens, vt secundum eam entis rationem, qua vnum dicitur, non sit communicabile multis, vt inferioribus, & sibi subiectis, aut quæ in illa ratione multa sit: hæc enim in idem incidunt, & significata sunt ab Arist. lib. 3. Met. c. 3. tex. 14. dicente; *Singulare exponimus, quod numero est vnum, vniuersale autem, quod in his.* Et explicantur exemplo: nam humanitas vt sic in suo conceptu obiectiuo non dicit aliquid singulare & indiuiduum, quia ille conceptus de se communis est multis humanitatibus, quæ realiter multe sunt, & in illis ratio ipsa humanitatis multiplicatur. Vnde fit, vt secundum rationem, ratio humanitatis sit superior, & communis multis vt inferioribus: at vero hæc humanitas, verbi gratia, Christi indiuidua & singularis est: quia tota illa ratio seu conceptus obiectiuus huius humanitatis non potest esse communis multis, quæ sub illa ratione multa sunt; id est, multis humanitatibus: quod autem hæc humanitas sit communicabilis Verbo diuino verbi gratia, aut etiam pluribus suppositis, non est contra singularem, & indiuiduam vnitatem eius, quia non communicatur illis, vt superior inferioribus. sed vt forma supposito, vel suppositis, in quibus secundum propriam rationem non multiplicatur nec diuiditur. Per hanc ergo negationem communicabilitatis seu diuisionis hæc vnitas singularis & indiuidua completur.

Quod amplius ita confirmatur & explicatur; nam sicut ratio vnus in communi per negationem diuisionis completur, vt cum Aristot. explicatum est, ita ratio talis vnus, scilicet, singularis, & indiuidui negatione etiam completa est, tum quia non est maior ratio in vno, quam in alio, tum etiam, quia rationes magis & minus communis, debent seruari proportionem, ita quod, sicut differentia per se & in eodem ordine

I.

II.

III.